Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1421
Quelle:
Copyright:

XII. et *Jacobus* Card. *Papienſ. Commentar.* L. VI. atque ex eo *Odor. Raynaldus* T. XIX. apud quem Reſponſionis noſtrae Capita p. 114. legas. Ipſa vero incipit: *Superioribus diebus cum audiviſſemus vos cariſſimi filij noſtri Regis Bohemie Illuſtris* &c.

Fol. 247. Acta in quodam Conventu *Taboritarum* poſt acceptam a. 1434. cladem, ad quorum calcem *fol.* 256. p. 2. habetur: *Venerabili patri domino Przibiſlao Abbati Monaſterij Lucenſis* (ſive *Pruck* Ord. Praemonſtr. in *Moravia* nunc aboliti) et ſubditur: *Reſtituantur Domino Pragenſi Prepoſito cum gratiarum actione.* Liquet igitur, a quo cui communicata ſint. Continent porro *Plebani Taboritarum* et *vnius de Juratis de thabor dicti Simonis Fabri uel Kowarz* Conſilia, quomodo adflictis rebus opitulandum. Inter alia poſterior ſpe lactat: *Quod Concilium Baſilien. diu non durabit et quod in breui diſſoluetur, et eciam ſcitis et vidiſtis alij oculis veſtris; quod iſte Imperator* (Sigismundus) *eſt ſenex homo et decrepitus, et ſuper illum mundum plus reſpicit, quam ſuper iſtum, et quod diu non viuet, et domini Barones terre ſunt deſides et hij ſunt ſatis pauperes, — et theotunici de ſuis rebus cogitabunt et nos obliuiſcentur, et vngari idem facient* &c. Et tunc ſurgendum et omnes deſtruendos eſſe. Succedit his Schema Decreti emittendi ad Socios, et Convocationis ad diem S. *Thomae* Apoſtoli a. 1435. in Civitatem *Hradiſſczt*, cui praefatur *Johannes Rohacz de Duba* Capitaneus ejus Civitatis. Omnia haec e Bohemico latina facta videntur. Per errorem Compactor ad *fol.* 251. *Sententiam* Concilii Conſtant. *contra Johannem Huſs* inſeruit, prout legitur *Labb.* T. XVI. *col.* 246.

Fol. 257. *Articuli editi per magiſtros et clerum pragen. ac dominos conſules communitatum pragenſium feria quarta ante feſtum ſancti viti.* Nempe VII. illi de Communione ſub Utraque, quos refert *Cochlaeus Hiſt. Huſſit.* L. IX. p. 335. male tamen anno 1441. adfigit, cum ad a. 1448. pertineant. Articulo *ult.* poſt verba: *non debet fieri*, Noſter addit: *ſed videat, ne ipſum dampnum conſequatur.* Accedit continuo et ab eadem manu Diſſertatio, quae inſit: *Corde credendum eſt ad iuſticiam* &c. et evincere nititur: plures et diſtinctas gratias recipi ab eo, qui Sacramentum recipiat ſub utraque Specie.

Fol. 261. p. 2. Criſis docta et ſolida *Th. Haſelbachii* cum Articulorum, tum Diſſertationis praecedentis data, ut in calce: *Ex Wyenna Anno Dominice Natiuitatis 1448. in profeſto ſanctorum angelorum hoc eſt ſancti wenzeslai martiris et Boemorum apoſtoli.* Incipit: *Uetuſta ſapientis celebrata quoque ſententia dinoſcitur: Vbi non eſt auditus, ibi ſermonem effundere non congruit* &c. Arripere ſe tamen calamum: *quia plurimum tractatibus in hac materia preſens extiti;* partim nempe *Baſileae* in ipſo Concilio, partim in obitis per *Bohemiam* et *Moraviam*